



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. III. Adulationis damna maxima explicantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

quàm probatæ notæ amicum habeat, subinde simulet prioris consilii pœnitentiam, & velut placita displicent, in aliam deliberationem veniat. Hic amicus fictus & larva veri, ex tempore idem sentiet, & Domine, dicit, meritissimò dubitas, mirabar ipse mecum cur illud prius placuisset, sapienter mutabis consilium. Ita se vertit ad omnem ventum. Amicus bonæ mentis longè aliter se gerit: resistit verecundè, si res exigat, rationes poscit mutandi consilii, suas exponit, utrumque allatas examinat, nec prius mutat animum, quàm rationibus succumbat, dicitque quod sentit. At adulator, ait: Manus, à voluntate vultum, ab animo verbum; à mente linguam, ab intellectu loquelam amplo dissensionis intervallo distibulant. Plorant enim exterius plausibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoriâ derisione defraudant: foris vultu fallunt virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo: foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractiōis evomunt tempestates.

§. V.

Dicit quis: Ego sanè inter hos numerari me non patior; quod meæ conscientia credo; si quid mihi displicet, non laudo, sed taceo. O mi homo, etiam tacendo adulatur: nam uti pictura est tacita pœsis, ita silentio quoque laudat adulator, nempe vultu & obsequiis. Et hæc etiam non sunt, ipsa cerè taciturnitate quandoque plurimum blanditur. Et hoc venerabili Bedæ credemus, siquidem: *Adulator est, inquit, qui tacet & dat consensum, ne offendant illum quem credit habere proprium.* Si ita res habet, mi venerande Beda, tunc quandoque totum aliquod senaculum, conclavi Apostolorum in Pentecoste collectorum non erit ablimile: illic in omni capite lingua ignea stabat; ita quandoque in senaculis & curiis, in omnium confidendum vertice stat lingua, sed unam non chartacea aut papyracea. Fit ut unus alterve præcedat lingua ignea, mox sequuntur ceteræ omnes: una alterave ignea consumpsit omnes butyraceas aut papyraceas. Eadem vox omnium est. Ita, fiat, sic statimur. Sed heus, nunquid sententia hæc iniqua est, vel conscientia tuâ recte? Est, sed quid faciam? non laudo. Etiam obfistere debes & clamare, nisi velis & senatore fieri adulator. Si taces, plus dicis tacendo, quàm alii multum clamando. Syrias mulieres, ait Plutarchus, villissimæ conditionis, Cypriorum regum uxoris in thedam ascensurus dorsum sternere: ita hi tergum præbent calcaturis, qui omnem libertatem suam aut in serviles voces, aut in turpe silentium præcipiant. Ubi es, o mi Nathan, ubi es sanctissimæ propheta, qui ausus es potentissimo Regum in os libertimè dicere: *Tues ille vir, qui fecisti hanc rem, tu ipse es, mires David.* Quare ergo contempsisti verbum Domini? Ubi nunc generosa hæc & sancta libertas? Ubi veritatis patroni undequeque sinceri? Veritas & Æquitas non tantum agnolci, amari, honorari, sed & propugnari ac defendi volunt. Narrat de Patrolo Plutarchus, eum omnia Achillis arma galeam, hastam, gladium, lorica mactum esse, cum iisdem produisset; hastam solummodo, quæ illi nimis gravis, vibrare nequisset: Ostendere potest adulator omnia indicia boni amici, boni famuli, boni consiliiarii, sed libertas efferrandæ veritatis, hæc hasta nimis ei ponderosa, nequit illam ventilare; quamvis subinde id tentet, nec aded imperit. Propterea pestilensimam adulationis genus est, sub libertatis imagine blandiri. Isti sunt qui fallacissimè seducunt, qui sub libertæ sententiæ larva latentes, annuendo aut penitus silendo, assentionis munus non oscitanter obeunt. Cælum oratorem fuisse iracundissimum constat. Cum quo, ut ajunt, cenabat in cubiculo lectæ patientiæ cliens, cui difficile videbatur, rixam illius, quicum edebat, effugere. Optimum itaque judicavit, quidquid dixisset dominus, sequi, & secundas

agere. Non tulit Cælius assentientem, sed exclamavit: *Obsequi die aliquid contra, ut duo simus.* Idem pæne his ingerendum: Dicite aliquid, o palpones, ne statua videamini. Ergo nemo se facit: Ego nemini adulator, rebus ut sunt, nil contradico, sileo. Atqui hoc scias, mi homo, qui Veritatem æquitateque voragine mersam hæere finit, nec pro viribus extrahere conatur, is deserit, hostis est, adulator est. Beata mens, inquit Augustinus, quæ perfectè hoc vitium vincit, nec adulatur aliquando, nec adulatori credit; quæ ne decipit alterum, nec ipsa decipitur. Ergo, Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Beatus Joannes Climacus: Si Petrus, inquit, quinquagies, sexagies, imò centies & sepius in viâ ad Olivetum secum ipse dixisset: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: si psalmum hunc tempore quo dormit, mac grad. recitasset, non tam facile ter Dominum negasset, quod juxta sletu 11. per omnem vitam sibi sumpsit expiandum. Sanctus Athanasius: Si habes, inquit, cui curam & vides hostem tuum, & cernis periculum, incipe canere: Dixi, custodiam vias meas. Quotidie Deus cuius nostrum sermō rogandus: Domine ut non delinquam in lingua mea. Simul firmissimè statuendum: Dixi, & dico, & dicam, Custodiam vias meas. Cavebo solerter ne aut ego aliis adulor, aut aliorum adulationibus decipiar. Scio sententiam jam latam: Qui seriò vult damnationem hanc & nigrum theta evadere, custodiat linguam suam, & custodiet animam suam ad salutem, vitam, beatitudinem.

CAPVT III.

ADVLATIONIS damna maxima explicantur.

Orationem gratiæ parandæ, & ad aurium pruritum compositam Diogenes rectè *Letale mulsim* vocavit, ut quod jucundum, idem tamen esset perniciosum. Adulatio, verè mulsim letale, tam est grata quàm noxia, mellitum prorsus venenum, & sinceris affectibus corrumpendis certa pestis. Eâ de causâ idem Diogenes Adulationem *Melleam præfocationem* appellabat, ut quæ blandimentis oblectaret, strangularet mendacis. Sed quis tam sagacis naris sit, ut vel adultores satis nosse, aut adulationis mala æstimare satis possit? illud sat luculentum adulationis indicium est, coram & in os digniorem se laudare. Hinc Gregorius: *Sapiens, inquit, cum laudatur in facie, flagellatur in mente.* Hinc Christus Dominus, Joannem Baptistam non tantum non præsentem, sed nec præsentibus illius discipulis laudavit. Sed cum illi abiissent, dixit: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Maxima laus, sed absentis. Contrarium faciunt adultores. Verum adulationis & adulatorum naturam geniumque utrumque jam descripsimus, restat tamen ut tria potissimum adulationis mala ingentia sub aspectum collocentur: quod nunc facere ingredior, id quæ ferè aliorum scriptorum calculo.

§. I.

Primum. Adulationis damnum: Adulator non melior est detractore, imò pejor. Clarissimè Bernardus: *Pessima vulpes, inquit, occultus detractor, sed non minus melior detractore, Adulator blandus.* Cavebit sapiens ab his. Aliqui, cum detractoribus urgentur, modestiores fiunt & Humilitate proficiunt: qui verò adultores etiam remotos tolerant, instantur & magis ac magis intumescunt. Verè inflat ad superbiam adulatio: monstrum est, Adultores pati, & non superbiorem fieri. Eò inventa est hæc artium pessima, ut doceat hominem crescere in vitiosam altitudinem.

Rex Herodes Agrippa, cum jam tertio anno Judææ totius regnum administraret, in urbem Cæsaream pervenit, quæ prius Stratonis turris dicta est, ubi pro salute

D d d 4

Cæsar

Herodis
Agrippae
ostentatio
& mores.

Cæsar solennes ludos celebravit. Ad hanc festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum confluit à toto regno. Hujus celebritatis die altera Herodes manè in theatrum processit amictus veste tota ex argento, opere mirabili contexta, quæ radiis exorientis solis percussâ, & divinum quandam fulgorem emittens, venerationem cum honore iniecit spectantibus, moxque adulatorum perniciosi aliunde acclamantes, Deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius. Hætenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali naturâ excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit, nec repulit paulloque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem: moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuntium, qui olim felicitatis fuerat, ex intus præcordiis indoluit. Secura sunt ventris tormina statim à principio vehementia. Convertis igitur in amicos oculos: En, inquit, ego ille vestra appellatione Deus vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente confectus vitam finit. Atque hic fuit Agrippæ regis exitus. I nunc, & adulationibus crede: post talem prologum talis sequitur epilogus.

Adulator
in sublime
extollit, ut
elatum
præcipit
amabili
lapsu.

Aquila testudinem quidem in altum erebit, sed ut ex alto præcipitem ad saxum allidat, & conterat: Adulator in sublime quidem extollit, sed ut elatum in sui admirationem & in fastum præcipitem amabili lapsu. Et quis est, qui laudatus, non se circumspiciat, & majorem se esse credat quam sit. Hoc enim agit adulator, ut vitia cuiusque dealbet, ut laudatus seipsum ignoret, ut laudati oculos vanitatis nube impleat, & auribus vero affueris complices injiciat, easque falsis præconiorum titulis inferiat, ut virtuti somnium inducat, ut omnem moderationis formam, sine qua nunquam rectè vivitur, lethæo flumine subvertat, ut animi demissi notas suaviter expungat. Hinc illæ voces pestilentissimæ: Tibi enim ille respondeat: Non pro fastigio te tuo metiris: ipse te præjicit. Hoc toleras & tacet. Et mille talia, quibus vix sanæ, & ab initio bene fundatæ mentes restiterint. Ab his ventis non inflari ad superbiam, tam difficile quam rarum est. Optime Chrysostomus: Quare, inquit, si avertari non nullo decet, adultores magis quam contumeliantes odisse oportet. Major enim non attendentibus ex adulatione pestis quam ex vituperatione oriri solet: & facilius est hanc quam illam passionem superare. Quare qui superat illam, tum mirabilior videtur, tum etiam majora consequetur præmia. Verè; meliora sunt vulnera non tantum diligentis, aut defendentis, sed reprehendentis, aut etiam persequentis, quam fraudulenta oscula blandientis. Illa in salutem, hæc in interitum eunt: illa secum medicamenta trahunt, hæc venena: illa feriunt & ungunt, & plus valetudinis bonæ promittunt; hæc sub molli spongia toxica jaculantur, & dum leniunt interimunt, eo sævius quod sub amici personâ incautum opprimunt: quod omnium ferè adulatorum proprium, qui sponsonibus divites, inanissimi rebus, nisi quoddam tacita hostilitate locupletes, in omnem nocendi occasionem intenti sunt.

Persius sat.
5. circamed.

• Astutam rapido servat sub pectore vulpem.

Adulator
hostis est
& lupus.

Magis etiam sub vulpe lupum & pardum. Apertus hostis mitior est insidiatore tam occulto. Arma enim armis repellere proclive est; dolos quæ virtus antevertet? quis novaculam vitabit spongia teclam? quis venena cavebit domesticâ manu porrecta? quis densâ nocte scorpionum observabit calcaneo insidiantem? Hostis verò omnis adulator est, sub ovina pelle lupus; sub mellis favo fel propinans, exporrectâ blanditur fronte, oculisque suave ludentibus, verbisque saccato plenis amicum insecat, & ut re aliâ nulla noceat, saltem superbire docet. Et sæpe non grande minerval post lat; satis est ei,

A habere discipulos quibus placeat. Itaque si superbi nescis, non est quod anxie magistrum quæras; os adulatori tantum ne obtura, & jam profecti. Nec est quod magistri tui offensam verearis; aut ferulam: omnia tecum sentieris, quidquid te velle scieris, volet. Proba an improba sint, juxta habet; satis illi damnas, laudasse, quæ damnas, quæ laudas; ex vero id sit, an secus, postrema illi cura; prima est, placuisse. Et ne tu tibi ipse displiceas, mollissimis verborum involucris te ipsum tibi abscondit. Omnis adulatio inflat ad superbiam, Itaque melius est à sapienter corripit, quam flustorum adulationibus decipi.

§. II.

Alterum adulationis damnum, inflammat ad iram, & temeritatem, aliæque his agnata vitia. Multis alioquin haud immitibus improbum calcar addit ad iram & furorem lingua blandiens, quæ cum nacta est hominem remissioris impetus, has ei voces sæpius ingerit: An vires tuas nescis? audendum est, audaces fortuna juvat: nimium insolecunt adversarii tui, nisi & tu dentes tibi esse ostenderis. Aude, & vir sis; potentiam tuam expectantur, qui nolunt benevolentiam; dignus es prædem cui se submittant, qui te læserunt. Blandissimis his stimulis adultores quandoque ovinam etiâ bilem ad rabiem efferat. Et quis sibi non credat futurum facile, quod alii viderit tam laudabile? magna merces operis, laus. Hinc omnia vitia in pretio habentur, cum laudem merentur. Adulatio, omnium ferè in regibus scelerum causa. Si enim demas laudatores, probatores, consultores, criminum prope omnia à sceptris & purpura excludis. Laudasse enim in principe crimen, impulsisse in illud, & in majora est. Animos addit, qui laudat, & audentior laudatio facit, & ad paria, aut deteriora quasi manu ducit. Audeo dicere: Tolle à principe scelerum laudatores, nulla aut pertraherentur scelera. Nemo enim ferè gratuito improbus aut malus est. Alius, crescitque improbitas cum laudatur. Rectè Chrysostomus: Hoc est, inquit, causa omnium malorum, hoc est quod virtutem maxime evertit, quod retardat, ac reprimat studium multorum ad ea quæ sunt honesta: quando non solum non reprehendunt aliqui, sed etiam una cum iis qui peccant se oblectant, et gratulantur. Hoc autem non est minus quam peccare. Audi Paulum dicentem: Non solum hæc faciunt, sed etiam consentiunt facientibus. Hoc est autem non parvum peccatum, etiam si quis mala non faciat: Unâ cum malis gaudere, eisque gratulari. Ille enim potest dicere necessitatem, causam pauperem, et si non sint iusti pregressus. Tu autem cur nam laudas quod factum est, cum nec ullam quidem ex eo voluptatem percipias? Atque ille quidem fortasse ducitur penitentia; tu autem has quoque tibi fores occlusas, & medicamentum tollis, & tantum remedium evertis, portum undique tibi obstruens ad penitentiam. Quando ergo te viderit quispiam, cum non sis peccato affinis, & debeas reprehendere, non solum non id facere, sed etiam præterire & adumbrare: & non solum adumbrare, sed etiam opem ferre & consentire: quid de seipso putabit, & quid de eo quod admissum est? Multi enim homines, ut plurimum, non ex iis solum quæ animo conceperunt, ferunt de rebus agendis sententiam, sed etiam ab aliorum instituto & voluntate corrupti: & si qui peccavit quidem, viderit omnes eum averfantes, exultantibus se aliquod magnum & indignum scelus admisisse. Quando autem viderit non solum non indignantes, sed etiam facile & placide ferentes, atque adeo blandientes & applaudentes, corrupto deinceps conscientie iudicio, multorum sententiâ depravata eorum menti assentiente, opemque ferente, quid non audebit? quando autem seipsum condemnabit, & securè peccare cessabit? Oportet igitur seipsum, si quis malum faciat, condemnare: per id enim eo devenitur, ut à malo cessemus: & licet quæ bona & honesta sunt non faciat, ea tamè laudare. Per animi enim

mi enim promptitudine & alacritatem via patet ad operationem. At hic, quoniam iis quæ sunt, applauditur, iureum insigniter & vehementer pungi ac notat. *Si enim vel reprehensum vitium adeo viget, & laudata virtus vix suos ad sudorem provocat: quid erit si hoc non factum fuerit? Quisquis igitur non suus ipse hostis est, adulator omnem, ut iuratum nominis sui hostem fugiet, & consilia illius laudatque non nisi timide ac cautè tanget. Hosti non fidet nec fidat adulatori. Suspecta habet inimica consilia? habeat & adulatoris. Hostiles molitiones omnes quocunque amico velamine tectas aversum & adulatoris aversetur qualicunque mantelo nitidas. Inimici laudes ad contemptum refert? referat & adulatoris, & quidquid ab huius ore & manu quocunque coronatum flore propinatur, tanquam ab inimicæ dextrâ prudens ac providus non tangat. Quin & alia omnia, quàm quæ ab adulatore denuntiantur, cogitet. Laudat ille? damnanda sciat. Damnat? laudanda sibi persuadeat. Consultat? viret ut mala. Dissuadet? sequatur ut bona. Optimè*

Aug. tom. 8. Angustinus: Non timebis, inquit, comminatore, si non amas adulatorem.

Tertium Adulationis damnum: Infigat ad omne genus mendacii. Nam adulari non mentiri difficillimum: & saepe quò plus tegitur adulatio, eò plus detegitur mendacium. Habuit vir è primatibus in Galliâ hominem fatuum, qui heri mensam falsis & infulsis delirationibus solebat exultare. Fuit ut assideret conviva cui natus nonnihil grandisculus erat. Observans id herilis stultus, & hominem identidem aspiciens, tandem prorumpit, & O quantum, inquit, nasum habes? Erubuit conviva, & pæne magis qui invitaverat. Mox fatuus loco ejicitur, non sine plagis. Ab his mihi didicit, se perperam locutum, cum tamen herum noller offensum. Paulo post subrept in eandem cenationem stultus iste, ut quod antea pejus dixisset, suavioribus verbis repararet. Adit ergo mensæ, & convivam eundem diutulè contemplatus, tandem ait: Pusillum certè nasum habes. Irrator herus: Contundite, exclamat, insanum caput & pugnis docete huc non redire. Post apud convivam multa exulans, deprecatus est alieni oris stultissimam & prorsus injussam dicacitatem. Miser probe confusus, nec tamen sapere didicit, reditum sibi haud interdictum, sed verba tantum putabat corrigenda. Itaque rediit; & primo statim ingressu velut emendatissimè locutus proclamavit: Nullum omnino nasum habes. Fatuam hanc loquacitatem pulcherrimè adulatorem æmulatur. Hi sepe quò plus erroris tegere conantur, plus errant; mendacia palliant mendaciis, fucum fucò addunt, & quò plus timent deprehendi, hoc audacius mentiantur.

Omni adulatio vestitur mendacio: detrahe illi hanc vestem, & informis apparebit nuditas, ridenda, non admiranda. Neque enim aliud est adulatio, quàm perpetuis prope mendaciis vestita oratio. Aut enim infra aut supra fidem adulantis verba sunt. Nam dum placere studet, si quem laudibus capi videat, augeat illas longè etiam supra verum, ut placeat magis. Si nihil quod laudem mereatur reperit, è suo cerebro nova comminiscitur; etiam vitia in laude ponere, & damnanda probare audet. Quò fit ut in majora impellat scelera. Hæc enim laudasse, est ad paria aut majora incursasse. Heu quid opus ad id calcar addere, quò jam ante natura aut educatio properat? nil aliud hoc est quàm si quem præcipit vicinum in iectâ manu protrudas, quò falioris promiorque lapsus sit. Facit hoc assentator, qui e mentis laudibus incautos in verarum virtutum opinionem trahit, damna tegit, pericula minuit, aut universum tollit, & ut ille stultus sine ratione, sic iste sine fronte, sine conscientia, ei cui grandis nasus est, audet tamen dicere parvum nasum habes; ei cui grandes & plurimi sunt nævi, persuadere tamen nititur, & paucos & minimos esse: non veretur dicere Nasoni, nullum nasum habes. Cum enim benevo-

lenciam alicujus sibi suisque rebus persuaserit commodam aut necessariam esse, quâcunque illam viâ parare studet. Veris nudatur? protrudit falsa. Satis illi si oprata consecutus fuerit, quocunque demum flumine deducatur ad hunc portum.

Accedit, plurimum tales quæ hic laudant, alibi damnare; quæ apud hos probantur, apud illos improbare, five innatâ naturæ inconstantia, five omnibus placendi studio. Unde fit ut nihil stabile firmumque ab his sperari possit, nihil illis turò credi: commissa producit quâcunque, si è re suâ id futurum arbitrentur, omnium se successibus expandentes, omnium subservientes: tam faciles in prodicionem, quàm faciles in assensum, ut nulla illis fides adhiberi, nulla verbis fiducia possit. Tam venalis oris homo probat præfens, damnat absens, magnūque quem in os tulisti laudatorem, seivum, ubi retuleris pedem, patieris judicem; quémque præfentem fortem senseras propugnatorem, absentem validum feres oppugnatorem. Applaudit nimirum coram, sævit cum latet: frontem blandè delinit, tergum unguibus ac molaribus occupat, & qui sub aspectum mella & flores effundebat, cum procul est, venena & ignes jaculatur; tanquam si quis præfentem extremis digitis demulceat, absentem fulmine perimat, aut integris montibus sepiat.

§. I V.

Ergo, quisquis veritatis amicus es, aut falli non vis, quisquis ingentia mala cupis exire, adulationem fuges. Tu ipse aliis nunquam blandire: aliorum blandimenta sperne. Spreverit ea insigniter Augustus Imperator. Nam cum Tarraconenses velut latissimum ostentum nuntiarent, palmam in illius arâ enatam esse: Apparet, inquit, quàm frequenter sacrificetis. Quod si adulando de Deorum favore ingerebant, hoc ille negligentie ipsorum tribuebat.

In veteri arce parieti inscriptum legisse me memini: *Omnibus sis familiaris, nemini blandus.* Nemini prorsus, nemini blandiendum, etiam si pes affulgeat magni emolumentum. Vox regia fuit Imperatoris Theodosii ad Arsenium præceptorem, Arcadio & Honorio filiis audientibus: *Præstat, augebat, piè mori quàm impiè regnare.* Sic omnino, præstat piè mori quàm impiè servire ut regnes: præstat piè latere quàm his artibus emergere. Quid juvat fama magna, si non bona? *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Ergo nullius hominis gratiam sic ambias ut illi noceas, & tibi ipse plus obis quàm proflis. Chrysostomi dictum est: *Blandiri ut noceat, diaboli est: corripere verò ut prosit, Dei.* Quis autem alteri blandiri potest, & non nocere? Ergo humanum te præbe omnibus, nulli blandum. Ita verò adulationem cave, ut illam tam in te oderis quàm in aliis:

Assentationes arces; si non arces, provocas.

Optimè monens Bernardus: Tolle, inquit, occasiones, respice blandimenta, adulationibus claudere aures, te interroga de re, quia

tu te melius nosti, quàm alius. Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem; tua tibi conscientia respondeat. Et licet te tota vicinia modestum dicat ac pudicum, minimè vel jurantibus credas: licet te omnes honorent, ne tibi magnus videaris: qui de amore non venit honor, non honor est, sed adulatio. *Qui te blandis, ut Plautus loquitur, & benedictis dictis subagitant, non amici, sed palpatores parafiti sunt.* Memoria tene quod parvulus didicisti:

Plus aliis de te, quàm tu tibi, credere noli.

Bonum est laudari, sed præstantius est laudabiliter agere. Cura esse quod audis. Bernardi judicio qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, hi modò magni, modò parvi, modò nulli sunt, prout adulantium linguas vel admittunt vel rejiciunt. Joannis Sarisberienfis: *Non facile dixerim, inquit, uter sit prior in vitio, qui linguam adulationibus polluit, aut cujus cor ex eis se in latitiam resolvit.* In hoc enim elationis cecitas, in illo frans exacerandi damnatur.

Ubiq. Polier. c. 3.

Ubique verò damnatur dolus, sed & cæcitas quæ à superbiâ est, nusquam absolvitur. Esto quòd adulator sit nequior, iste non minùs contemptibilis est. Nec capere-
tur linguæ tendiculis alienæ, si non blandiretur ipse sibi. Quid itaque alium arguit elationis, qui subinet adula-
tur? In quo enim alium accusat, seipsum condemnat, eadem enim facit quæ iudicat. Laudatores ergo tolle, & magnam scelerum materiam sustuleris. Neque quicquam facile improbat omnibus aut aggreditur aut iterat. Laudem & propugnatorem crimina poscunt ut repetantur. Tolle hæc fomenta, ligna ignibus; & partem longè maximam ademeris incendiis. Tiberius Imperator hoc nomine commendandus, qui adulandi studium in primariis Reipublicæ Romanæ vitis detestatus, cum è senatu egrederetur, subinde dicere solebat: O homines ad servitutem paratos!

O magni Principes, o Reges, & Cæsares quàm subtili veneno incolumitas vestra impetitur. Misertus vestrum omnium Bernardus: Potentibus exclamat, omnes invident, omnes adulantur. Eà de causâ Soloni dixit Æsopus: Non accedendum ad reges, aut illis placendum. Scio, negari passim, in aulis bene compositis adulatores esse. Ah! quâ hoc difficile creditur est? illud nonnemo sibi potiùs persuasit, nullos tolerari quàm nullos esse. Quis enim credat nihil esse murium, ubi tam multum frumenti est? & quis capiat, in tantâ turbâ hominum, qui omnes contentissimis studiis aucupantur gratia, non multos esse qui rete tendant adulationis, sine quâ sterile censetur hoc aucupium. Aula Theodosii Junioris, aula sancta fuit, sed adulatoribus minimè caruit. Atque hi è virum progressi, ut non tantum Theodosianam aulam, sed universam pæne Rempublicam illam everterint. Nusquam deest fex ista hominum, sæpe tam grata pestis aularum quàm noxia. Qui verò adulatores cavere cupit, nosse debet, hoc autem melius nosceret, quòd studiosus cavebit. Tanti mali remedium, non sat efficax est, nolle laudari. Reperias fortasse non paucos, à quibus etiam non sit laus quaesita, nihilominus eos delectat oblata. Vitandus est adulatorum sermo, & fortiter rejiciendus; nunquam sine noxâ erit, illum benignè admississ. Nam etiam si non statim offit, semina tamen in animo relinquit, sequiturque nos etiam cum ab illis discesserimus, resurrexerunt postea malum. Quemadmodum qui audiverunt symphoniam, serunt secum in auribus adulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum & prava laudantium sermo diutius hæret quàm auditur, nec facit animo dulcem sonum excutere. prosequitur & durat, & ex intervallo recurrit. Ideo claudenda sunt aures malis vocibus, & quidem primis: nam cum initium fecerunt, admissæ sunt, plus audent.

§. V.

Sed quis vir ille inexpugnabilis, adversus has aurium infidias, quas nemo non in sinum recipit? Eò jam dementiæ venimus, ut qui parçè adulatur, pro maligno sit. Ita est; quòd apertior incedit adulatio, quòd improbius, quò magis frontem suam perficit, cecidit alienam, hoc citius expugnat.

O Principes, o Reges, & Imperatores, vos esse convenit viros illos inexpugnabiles in omne adulationum genus. Parum est, subtilissimum hoc venenum non appere, ei etiam insuper resistendum est, & subinde prima statim verba blandientium præcidenda. Ii qui blandiri aut placentia loqui nesciunt, non continuo, ut agrestes & barbari rejiciendi. Suum illis precium ster, nec vile, qui ignorantia laborant tam malignæ artis. Utinam liceret affirmare de Principibus Christianis, quod Seneca de fratre suo Gallione dixit: Eum alia vitia non nosse, hoc etiam odisse. Ita sanè injustitiam, libidinem, temulentiam, aliâque similia portenta non norit Princeps, adulationem etiam oderit, & omni aulâ exturbet. Modus Adulatores ab Aula excludendi non deesset, si non displiceret. Ad Hispaniarum Regem Philippum IV. Poli-

tia Christianæ doctor, hæc omnino verba perscripsit. Beati, qui vera dicentem fortit. Quo infeliciores Principes sunt, qui è multis millibus vix unum fortituntur, qui vera profari audeat. Delictum in Principe est, vera dicere, si audire vera Principes vellent, si falsa denuntiatio-
tibus pœna astaret, si nulla impunita assentatio abiret, si vera dicentes præmia manerent. Nunc cum hos pœna, præmia illos maneant, omnes in adulatione devolvuntur.

Quòd si via desit comprimendi adulatores, pellantur familiâ. Fecit Alexander Severus, Septimius etiam Severus, fecerunt alii. Feliciter semper, bono Reipublicæ, regni, & suo. Ut meritò gravior esse debeat inimicus damnatus, quàm assentator laudatus. Ab illo vera sperari possunt, & mala nostra discimus, quæ ignorata emendari non possunt, possunt cognita: à quacunque manu cognitio illa veniat, ab amica censeri debet venire, quæ in præcautionem est, & vitorum fugam.

Verum non imperitè mihi dixisse visus est, qui assentator, omnes pæne principes viros eo fato nasci, ut aliquid saltem pennarum ad hunc adulationis vicum relinquunt. Ita improvidi cives dum vilitate laudandi uniusquisque magnatum vitia ad amicitiam sollicitant, se simul & illos miserimos fieri non sentiunt. Quanto enim incommodum suo imperantes sic fingunt, ne quid eos pudeat, sed licentissimi assuescant seipso amare & mirari. Utique postquam diu omnes eorum affectus adulatione & præconiis consecrarunt.

Quid miremur principes violentâ adulationis procellâ inclinatos quò sponte jam volunt, iis vocibus cedere quas solas accipiunt præsertim nemine ruinam sustinente, ad quam tanta vis impellit. Nam illi sapientes quos negotiis adhibent, seu venientur frustra monere, seu medicamentum, quamvis infundat salubritatem, tamen ingratum esse sciunt, his vulneribus non adhibent manum: Aut certe vitia distinguunt, quibus seipsum Rex maculat, ab iis quibus Rempublicam perdit. Et contenti utrunque mederi publicis, non restitunt principi oculos, quibus ipse suam fortem & blandientium fallaciam damnet. Quis familiarium sapienter Reges admonuit, si aviditate æris, aut nimia liberalitate intamescunt, si nimio venationum studio amittunt Reipublicæ curam: aut cum libidinum exemplis sæculum inficiunt, vel inconsultis amicis publicam invidiam concitant. Laboramus etiam virtutum nomina his cupiditatibus fedare: cura futuri, laborum assuetudo, comitas, liberalitas appellantur hæc dedecora. Nec vitia illa tantum, sed etiam leviora, in his adolescentum mendaciis. Et nullo maiorem Regibus genium, quàm qui populum informat, fors dedisset, quotusquisque ex his plagis evaderet, quæ vel ipsa consuetudine placent, quæ nascuntur cunctis circumdant, nec eas meminerunt sibi poni.

Sed neque his periculis soli Reges infesti sunt. Plerique regis malis in privata fortunâ laboramus. Reges sumus supplicibus: rursumque Rex nobis, in cuius manu est quòd petimus. Hunc tentamus blanditiis, hunc illâ vanitate cõficimus, ultro amante rela quibus percelli solent Reges.

Ergo non solis Principibus odio prosequenda est adulatio, neque enim solos Principes seducit; omnibus infesta, omnibus exitiosa, qui eam non studiosissime cavent. Verissimè Paulinus, Nihil est, inquit, quòd tam facile corrumpit mentem hominum; nihil quòd tam dulcis & multo vulnere animam feriat. Non vis vulnerare eos qui volunt adulari. Quisquis adulatorem domo recipit, serpentem sinu fovet. Torpet jam serpens? brevè venena explicabit ubi incaluerit, & diffundet virus in amicum sibi finum. Non magis ferè adulatorem beneficia vincunt, quàm serpentem. Semper hic serpens est, & ille semper adulator, hoc est, amicus falsus, qui quando cum plus foveris, plus insurget; coram amico mentietur, inimicum ablen loquetur. Ergo cave omne mercenarium præconium, adulatorem omnem à te repelle, neminem horum admittit,

Bern. ser. 4.
de Ascens.
Dom.

Senec. epist.
123. med.
Adulato-
rum sermo
vitandus,
& aures ei
claudende.

Reges &
principes
inexpu-
gnabiles in
omne adu-
lationis
genus esse
convenit.

Senec. lib. 4.
Nat. ag. in
præfat.

De baccheâ, bombilantē, blæsâ linguâ. Cap. IV. 599

mitte, quocunque virtutum colore tinctum. Lyfandro quidam dixerat: Laudo te & defendo. Huic mox Lyfander: Duos, inquit, ruri boves habeo, quibus tacentibus satis ipse novi, uter illorum sit piger, uter laboris amans. Tali responfo adulatori os obturandum, ne, si tam benevolē audiatur, eandem cantilenam ſæpius occinat. Et hæc de Adulatione. Multa, inquit, & proluxa. Crede mihi, Lector, pauca diximus, ſi flagitii genium ſpectemus. Pluribus & gravioribus plagis hæc linguæ improbitas fuiſſet excipienda. Affectus veri venenum peſſimum Aſſentatio.

B CAPVT IV.

BACCHEA, BOMBILANS, BLÆSA, lingua quid ſit.

Interrogat olim Paulus monachus, quem ſimplicem nominabant, priore Chriſtus fuiſſet an propheta? Ubi verò aliis monentibus comperit, quàm id inſulſè interrogallèt, cūque illi inſuper à maioribus imperatum eſſet, ut quæſtionem tam ridiculam ſilentio expiaret, triennium ſilendo exegit, eaque ratione pœnas à ſeipſo graves repetiit.

Subinde tanta eſt humanæ linguæ intemperantia, ut hoc unum fatagat, garrere ac loqui, aptè, ineptè, utiliter, damnoſè, id iuxta habet. Tres hoc capite vitioſas linguas proferimus, quarum prima, quam *Baccheam* nominamus, hæc cū vini vim admittit, ita rationem excutit, ut inſulſè plerumque interroget, inſulſius reſpondeat interrogata. Nihil tam fatuum eſt, quod ab hæc linguâ ſit alienum. Huic meribibule linguæ, & nunquam non vacillant *Blæſam* atque *Bombilantem* conſuiumus adijungendam. Quid ſingulis inhareat vitii, explicabimus.

§. I.

BACCHEA hominis ebrii lingua eſt, quæ quaſi gallis nixa incedit, adeò & titubat & claudicat. Diceret illam Alcoliaſinum, Empuſæ ludum ludere, qui eâ lege fiebat, ut pede altero in aërem ſublato, uno ſubſilirent pede. Hæc lingua nil arcani retinet, fanda infanda ſimul omnia effundit, velut qui navigi merces in iratum mare opere tumultuario ejicit. Hæc lingua velut vacuum dolum uſque & uſque tinnit, & plerumque divitias aut læticias inaniffimas. Nam

Quis poſt vinâ gravem militiam aut pauperiem crepat? Veriſſime Romanus ſapiens: Non eſt animus in ſua potestate, ebrietate devinctus. Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in ſummam partem vis caloris ejicitur, ſic vino exaſtuante, quidquid in imo jacet abditum, eſt factum & prodiit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne ſecretum quidem, quod ſuum alienumque eſt, pariter effundunt. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit: tunc impudicus morbum proſtitur ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet, creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido: omne vitium deregatur & prodiit. Adhuc illam ignorantem ſui, dubia & parum explanata verba (en linguam Baccheam) incertos oculos, gradum errantem. Sed Bacchi victoria plerumque omnium primo in vincula rapit linguam.

Æſopum quidam non illepidè reprehendit, quod fenestras in homine, per quas intima cogitationes perſpiceretur, requireret, cū vinum ſcilicet id præſtare poſſit. Et eleganter Theognis poëta, quem Lævinus Torrentius ſic Latine loquentem fecit.

* Ignibus explorant auri argentig, metallâ

Artifices, mentem libera vina viri.

Idco magnates hominē illum poculis urgent, è quo elicere cupiūt intima ſenſa animi. Venulinus vates affirmat:

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitia dignus

Horat. de Arte poet. v. 434. proptius ſinem.

Hoc eſt ingeniis duris lene tormentum admove, & arcanum conſilium jocoſo reterege Lyæo. Marcus Craſſus bello quod cōtra Dacos & Baſtarnas gerebatur, eorum legatos admittit, retinuitque, poſtridie reſponſurus. Interim legatis hilare vini tormentum admovit, itaque eos vino ſepeliit, ut omnia eorum conſilia eruerit. Arte conſimili ajunt olim Bonofum Imperatorem uſum, qui ſæpe dixiſſe fertur, non ut viveret ſe natum eſſe, ſed ut biberet. Is igitur quoties barbarorum legati undecunque gentium ad eum veniſſent, vino liberaliſſimè propinato ebrios reddidit. Itaque è temulentis his linguis quæ voluit, explicatus eſt. Nemo tantæ continentia eſt, quin mero merſus & madens effutiat omnia: quidquid fraudulento ac vapo in pectore latet, protruditur. Linguæ ſunt liberæ, ubi eas Liber copioſior irrigavit. Quod ſobrio in pectore, id in palato natat ebrio.

Audiverat Rex Pyrrhus quodſam Tarentinorum in convivio parum honoratum de ſe ſermonem habuiſſe. Accerſitos pereunctabatur, an dixiſſent ea quorum accuſarentur. Tum unus ex iis: Niſi, ait, vinum nobis deſeciſſet, iſta quæ tibi relata ſunt, præ iis quæ de te locuturi eramus, luſus ac jocus fuiſſent. Tam urbana crapulæ excuſatio, tamque ſimplex veritatis conſeſſio itam regis avertit in riſum. Proſuit his juvenibus vini penuria, & mite ingenium Pyrrhi, alioqui Bacchea lingua in fraudem eos maximam egreſſet.

Apud Romanos ſtatua erat quæ Citeria dicebatur. In hujus capite articuli vertebraeque ſic locate erant, ut os ſuſum deorſum diducere, & neſcio quid inamœni ſtrepere potuerit, perinde ſi loqueretur. Hanc garrulam ſtatuum in ludorum pompâ, ridiculi gratiâ trahebant. Inde M. Cato in Cecilium ludens: Vehetis, in pompâ ludorum, pro Citeriâ, ut populo ſermocineris. Tales omnino ſunt linguæ vino natæ, & temulentæ, garrunt ut ſtatua, quarum labra funiculo trahuntur, ſtrepitus & verborum plurimum eſt, nihil rationis. En quot ſtatuas Citerias in unico convivio reperire eſt!

De garrulitatis vitio Plutarchus elegantem ſcripſit libellum, in quo veriſſimè dixit: Quod in corde ſobrius eſt, id in lingua eſt ebrius. Suidas, ſapienter tres ait meri caliculos per-mitti. Et primum quidem eſſe valetudinis, alterum voluptatis, tertium ſomni. Eodem pane modo bibendi vi-ces diſtinguens Anachariſus: Primus caliculus, inquit, neceſſitatis eſt ſedandæ ſiti: Alter ſobriæ hilaritatis: Tercius voluptatis. Atque hic jubet Plato quieſcere. Nam quartus calix ebrietatis eſt & contumelia: Quintus clamoris & ſtultiſſimæ garrulitatis: Sextus comellationum, etenim quò plus potantur uvæ, plus ſitiuntur: Septimus libidinis & laſcivia: Octavus bilis eſt & pugna: Nontus vulnerum & cadis: Decimus furoris & infantiæ. Ad has omnes tragœdias ſeſe auctorat Bacchea Lingua, quæ cæco impetu ruens, qua data porta, nullum formidat præcipitium. Quiſquis huic linguæ mederi vult, medicinam omnem petat è ſiccò, culullos ſubtrahat & cirneas, docilemque ſitum aſſueſciat ad limpida fontem. Nam lingua velut molendini rota, ſi vino agitur, omnem molitoris peritiam eludit, nec facile liſti poteſt. Quis inter cyathos textit, quod latere cupiebat?

Cū autem temulenta lingua plurimum peccare ſoleat, ſrivola nimis excuſatio eſt, dicere: Per vinum hæc feci, per vinum illa dixi. Non minus, ô bone, ſic reus es, imò duplici noxâ obſtrictus es, & quia nimium bibiſti, & nimium garriviſti. Cū enim linguæ tuæ furores notis, cur eos vino tam copioſo impellis & extimulas? Tantò magis cavendum tibi, quantò incautorem naſtus es linguam: tantò temperantiùs tangendi calices, quantò appota lingua intemperantiùs blaterat. Fuge igitur ſi non convivia, ceterè temulentiam. Hæc namque

Suidas voce in-
Tres cali-
culi meri
ſapienter
permiſſi.

Temulen-
tæ linguæ
ſrivola ex-
cuſatio.